



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Episcopalis

Piasecki, Paweł

Coloniae Agrippinae, 1620

Quomodo sint Ordines conferendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

19. Nouemb. 1602. in vna Arctin. testatur Gonz. cit. gl. 5. S. lo. num. 35. hocq; idem resolutum fuisse in eadem Rot. coram Orano. mensē Maij. 1588. in vna Salamantin. & in alia Ispalen. coram Platta. 17. Iunij. eo. anno testatur Paris. loc. cit. num. 39.

13. Limitatur autē idem dictum primo, vt non procedat instante necessitate vel vtilitate Ecclesie, nam cum licet ordinandus non habeat titulum seu beneficium, promoueri tamen potest arbitrio Episcopi ad pensionem vel patrimonium, si illud habuerit sufficiens. *cap. Episcopus. iun. gl. v. subsidium. c. tuis. iun. gl. v. de patrimonialibus. de preb. Conc. Trid. loc. cit.* nomine autem patrimonij intelligi possunt quæuis facultates, siue ex patrimonio siue ex industria propria, siue ex donatione alicuius quæsitæ, dummodo ex illis possit Ordinatus habere alimentata, hoc enim solum attenditur. *Dec. in cit. cap. Episcopus. nu. 6. de preb. Nau. cit. cons. 13. num. 1. de temp. ord. Paris. lo. cit. num. 9. & seq.* Et patrimonium seu facultates huiusmodi postmodum renunciari non possent, nisi habita alia prouisione sufficienti, quemadmodum & de titulo beneficij diximus. *Conc. lo. cit. Abb.*

in cit. cap. tuis. num. 8. de preb. Dec. lo. cit. num. 20. vbi deducit talia bona gaudere immunitate Ecclesiastica. Quod autem patrimonium seu facultates debeant dici sufficientes ad sustentationem, remanet iudicis ordinatoris arbitrio. *arg. l. 1. ff. de iur. delib.*

Limitatur secundo: vt non procedat in minoribus ordinibus, isti enim conferri possunt non habenti titulum. *Hoff. in sum. à num. 6. S. & qualiter. vers. puro verius. Paris. lo. cit. num. 4.* vbi dicit hoc esse receptum communi praxi.

Limitat etiam Gonz. lo. sup. cit. gl. 4. num. 36. quo ad personam graduatam & literatam, vt possit promoueri absque titulo, quia nimirum tali non sit defutura decens sustentatio, hocq; respondisse dicit Salamanticen. & Compluten. Academias. Sed hæc doctrina contrariatur apertè. *Conc. Trid. lo. cit.* quod expressè de huiusmodi quoque personis qualificatis disponit illis verbis (quamuis alias sit idoneus moribus, scientia & ætate) praxiq; communi non seruatur dicta sententia Gonzalez.

ARTICVLVS VIII.

Quomodo sint ordines conferendi.

1. Episcopus non potest conferre ordines in Diocesi aliena.
2. Ordines conferri non possunt extra tempora à iure statuta.
3. Soc. Iesu patres ordinari possunt extra tempora à iure statuta.
4. Ordinari nemo debet sine examine præuio, & quis sit examinandi modus.
5. Ordinationis plura requisita.
6. Ordinatus & ordinatus qualem debeant habere intentionem circa collationem ordinis.
7. Ordine in conferendo que instrumenta materialia tradantur, & an de necessitate tradi debeant.

Præ-

Remitti debet processus intimatorius, & publicari per mensem ante tempus celebrandæ ordinationis, diesque & locus celebrationis notificandus, ut praxi omnibus nota seruatur.

1. Locus autem celebrandæ ordinationis debet esse in propria Dioecesi, in aliena enim Dioecesi Pontificalia exerceri non possunt, nisi de licentia Dioecesanæ, alioquin & Pontifex ab exercitio Pontificalium & ordinatus ab exercitio ordinum quos ita reciperet, essent ipso iure suspensi. *cit. Conc. Trid. sess. 6. cap. 5. de ref.*

Locus item debet esse Cathedralis Ecclesia, vel si ex causa alibi ordines celebrari contigerit, eligi debet Ecclesia dignior, & adhiberi præsentia Cleri illius loci. *id. Conc. sess. 23. c. 8. de ref.*

2. Tempora à iure statuta conferendis sacris ordinibus, sunt quatuor Sabbatha quatuor temporum anni, & Sabbathum ante Dominicam Passionis & Sabbathum aliud hebdomatæ Sanctæ. *cap. de eo. de temp. ord. Host. in sum. eod. tit. num. 3.* Et ordinatus extra hæc tempora efficeretur suspensus ipso iure ex Const. Pij II. supra relata. Ordinator tamen nullam poenam incurreret ipso facto cum non sit in iure expressa, sed posset puniri. Nec poenæ Const. Six. V. super hoc editæ illi afficeret, cum illa Const. sit reuocata & reducta ad terminos iuris & Conc. Trid. à Clem. VIII. alia Const. quæ infra alia occasione referetur. Ordines tamen minores conferri possunt etiam extra hæc tempora quolibet die Dominico vel festo, dummodo ordinatio non instituitur, tam frequens ut videatur generalis ordinatio. *tex. & Host. lo. cit. Nau. conf. 47. de temp. ord. in antiq.* Patribus item Soc. Iesu Greg. XIII. indulgit ut possint ordinari ad quosvis ordines etiam ma-

iores extra tempora prædicta à iure statuta; quod indultum quoniam continet plura scitu necessaria circa ordinationem eorundem Patrum, hic referendum volumus. *ut sequitur.*

GREGORIVS PAPA XIII.

Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Plum & utile Societatis Iesu institutum non patitur certa quadam ab ijs qui sub eius vexillo atq; disciplina salutariter militant obiri, qua in sacris ineundis generaliter præscribuntur. Quocirca cum dictæ Societatis ac disciplinæ alumni nulli Ecclesia, nulliue loco certo mancipati sint, ut ibi per maneant, sed veluti viatores omni tempore parati expectantesq; diem & horam, qua vel ad extremas orbis regiones cum venit vsus emittantur, ubi quisq; pro captu suo, & iuxta datam sibi à Domino sapientiam sese in vinea Domini excolendo exerceat, eiusq; rei causa fel. record. Paulus Papa III. præposito eiusdem Societatis concesserit, ut idoneos & comprobatos ab ipsa societate quibuscunq; mallet Catholicis Antistitibus gratiam & communionem sedis Apostolicæ habentibus præsentare posset, qui illos sic præsentatos absq; vlla promissione vel obligatione ad ordines huiusmodi promouerent. Nonnulli tamē Antistites post Conc. Trid. decreta eos sic præsentatos prius in cuiusq; tam minorum quam sacrorum huiusmodi præscripto munere exercitatos temporum determinatorum post susceptos, præscriptū finem, antequam ad superiores ordines ascendant, omnino expectandum, eosq;

in eorundem ordinum functionibus, cho-
riq; officijs plena instructos, & denique
super eorundem vita moribus, etate, &
natalibus ad Parochi inquisitiones aut
alias testimonium & certa alia requisita
habenda obligatos esse contendunt, quā-
vis non nisi ad eosdem ordines suscipien-
dos numeris alioqui omnibus idonei di-
mittantur. Nos his incommodis quantū
in nobis est occurrere volentes, omnibus
Episcopis & alijs Antistitibus presentibus
& futuris in perpetuum precipimus atq;
interdicimus, ne ab huiusmodi promouen-
dis, qui licentiam à Preposito generali
dictæ Societatis pro tempore existente,
vel ab eo delegatis habuerint, quicquam
edictorū requirant vel exigant, sed ipsos
etiam absque vlla functione in ordinibus
ipsis, interstitiorumq; ad illos suscipien-
dos obseruatione, aut inquisitione de
tantis officijs & ceremonijs Ecclesiasti-
cis id oneritate proprii ordinarij, licentia
& alijs in alijs requisitis ad minores, ac
etiam extra tempora à iure statuta, tri-
busq; Dominicis, vel alijs festis diebus et-
iam continuis ad Sacros etiam Prasby-
teratus ordines promoueat, ac si illi om-
nibus requisitis praditi essent. Nos enim
illis ordines omnes pradictos sic suscipiē-
di, ac pradictis Antistitibus eos ipsis con-
ferendi facultatē tribuimus. Non obsta-
tibus præmissis ac constitutionibus & or-
dinationibus Apostolicis ceterisq; cōtra-
rijs quibuscunq; presentis autem gratia
communicationem omnibus alijs etiam
qui sua priuilegia cum ipsa societate co-
piosè participant, participareq; poterunt
quomodolibet infuturum, fieri omnino
prohibemus. Caterum quia difficile esset
presentes quocunq; illis opus erit deser-

re, volumus vt eorundem presentium tran-
sumptis manu Notarij publici subscri-
ptis, & sigillo persone in dignitate Ecce-
siastica constituta, seu etiam dicti Prae-
positi munitis, eadem prorsus fides in iu-
dicio & extra illud adhibeatur, que ipsis
presentibus adhiberetur si essent exhibi-
ta vel ostensa. Dat. Tusculi, sub annulo
Pisc. die 22. Septem. 1582. Pont. Ann. 12.

Tempore adueniente præfixo, exami-
nari debent ordinandi. cap. nullus. cap.
quando. 24. dist. cit. Conc. sess. 23. cap. 7. de
ref. deponendos enim iura statuunt eos
qui non examinati ordinantur. cap. vlt.
dist. cit. imò incurrūt suspensionem ipso
facto, nec habent executionem ordinis
donec per Episcopum fuerint dispensa-
ti cap. veniens. de eo qui furt. ord. sus. Et si
ab Episcopo ante inceptam ordinationē
inhibitum fuerit vt solet, ne quis ad or-
dines accedat non examinatus, nec ap-
probatus sub pena excommunicationis,
ordinatus cōtra huiusmodi prohibiti-
onem incurreret suspensionem non nisi à
Papa dispensandam cit. cap. veniens. cap.
innotuit. lo. cit. Abb. in cit. cap. veniens.
num. 3. vbi dicit cum tali dispensari ad-
huc posse per Episcopum vt ministret in
ordinibus prius legitime habitis.

Diuersum autem examen ad cautelā
maiorē est institutum. Primum dici
potest vno mense ante ordinationem in
loco Patriæ seu in Parochia ordinandi
per Parochum, seu alium cui id cōmit-
tere voluerit Episcopus faciendum, &
redactum in scripturam occluso rotulo
remittendum ad Episcopum. cit. Conc.
Trid. lo. cit. c. 5.

Secundum examen feria quarta & se-
quentibus diebus immediatē præcedē-
tibus diem ordinationis fieri debet. id.
Conc. lo. cit. cap. 7. Rebuff. in prax. in Reg.
de Cler. non le. prom. gl. 4. nu. 12. & hoc

examen de iure spectat ad Archidiaconum. *c. ad hac. cap. vt nostrum. de off. Archid. Innoc. ibid. Host. in sum. de scrut. in ord. num. 4.* est enim primus Prælatus post Episcopum & de iure censetur Vicarius Episcopi. *vt not. Abb. in cap. 1. nu. 1. lo. cit. de off. Archid.* Potest tamen Episcopus etiam alijs viris peritis hoc demandare. *cap. quando. 24. dist. gl. in cit. c. adhuc. Abb. lo. cit. & in c. 2. de excess. præl. num. 4.* vbi dicit tum demum aliquam functionem spectare ad Archidiaconatum, cum illam habuerit ex speciali iure vel consuetudine, alias non. Ipsemet etiam Episcopus posset præsidere examini, sua enim interest ne indigni ordinentur, & ipse tenetur ex culpa examinatorum. *gl. v. examinentur. in c. adhuc. cit.* Et rigorosè hoc examen institui debet. *cap. constitutus. de purg. can. cap. cum in cunctis. de elect.* simplici tamen assertioni Parochianorum testificantium de bona fama ordinandi statuitur: præsertim si testificantur quoad honestatem morum, quia nimirum cum istorum attestazione concurrens iuris præsumptio, qua quilibet præsumitur bonus nisi probetur malus. *cap. cum deputati. de iudic. cap. dudum. de præsumpt. l. cum pater. §. rogo. ff. de leg. 2. & dat. rationem Host. lo. cit.* quia virtutes naturaliter homini debent inesse, maximè post baptismum. *cap. 2. dist. 4. de consec. doctrina tamen non præsumitur, sed debet probari per examen. c. si forte. de elect. in 6. Gemm. ib. idq; de stylo Currie. Mascard. de prob. conclus. 877. Bellam. decis. 113.* vnde neque Regulares excusari possunt ab huiusmodi examine. *Conc. Trid. lo. cit. sess. 23. cap. 12. de ref.* quoad mores tamen & vitam, testimonium superiorum Regularium illis sufficeret.

Tertius examinis modus seruetur ipso die ordinationis, dum Archidiaconus clara & intelligibili voce monet adstan-

tem populum, vt si quis contra quempiam ex ordinandis aliquid sciat, quod ordines impediret, libere proponat. Et ibidem Episcopus interrogat Archidiaconum vnum sciat ordinandos esse dignos; ipse verò respondet, & scio & testificor quantum humana fragilitas nosse sinit, ipsos esse dignos. *cap. vn. de scrut. in ord.* In qua responsione nõ peccat, licet ipsemet non examinauerit, dummodo ab alijs examinadoribus deputatis, sciat fuisse approbatos, & dummodo cõtra cõscientiam non loquatur. nam si sciret aliquod impedimentum, illud deberet Episcopo vel secreto nunciare. *Host. lo. cit. num. 5.*

Vltra prædicta requiritur circa ordinum collationem, vt in Missa conferantur, maiores videlicet, nõ minores possunt etiam absque Missa conferri, etiam à non ieiuno. *Ang. v. ordo. 4. num. 5. & ordo. 7. per totum. Armil. v. ordo. num. 9. Vuald. de Sacr. Ord. dist. 8. num. 14.* Maiores vero non nisi in Missa conferuntur. *cap. quod sicut. de elect.* de necessitate videlicet præcepti, non de necessitate Sacramenti. *cap. quod sicut. cit. num. gl. v. diuidatur. Abb. ib. nu. 12. Armil. lo. cit.*

Requiritur item vt graduatim ordines conferantur incipiendo à prima tonsura per ordinem. *cap. si officia. 59. dist. 8.* accipiens maiorem ordinem omisso minori, remaneret suspensus ab eius exercitio ipso iure. *c. vn. de cler. per salt. prom. Host. eod. tit. in sum. num. 2. Vult. de Sacra. ord. num. 232.* Non tamen teneretur ad aliud nisi ad suscipiendum ordinem què omisit. *Abb. in c. vn. cit. num. 4.* vbi de ordine conferendo de quo dubitaretur fuisse collatum, dicit sequendam cautelam. *c. 2. de Baptis.*

Seruat is etiam temporum interstitijs conferendi sunt ordines. *cap. in singulis. 77. dist. & ad minus vno anno elapso post*

Post susceptionem ultimi minoris, ad Subdiaconatum, iterum ad Diaconatū post annum, & alio anno interlapso ad Præsbyteratum. *cit. Conc. lo. cit. c. 11. 13. & 14.* Possit tamen Episcopus dispensare super huiusmodi interstitijs temporum, ut patet ex *tex. Conc. cit. ad ipsum e- nim hoc spectat. Nau. conf. 25. de temp. ord. in antiq.* vnde etiam Regulares ab Episcopo, non autem à suis superiorib. Regularibus super eisdem interstitijs dispensari debent, ut declaratum fuisse à S. Cong. Conc. refert *lo. sup. cit. Quaran. v. Ordo.* his verbis.

Cong. Conc. censuit superiores Regulares nō posse dispēare super interstitijs Regularium ordinandorum, sed id pertinere ad Episcopum ordinārem, qui tamen quoad causam dispensationis iudicium formare debet ex attestacione superiorum Regularium.

P. Aemilius Card. S. Marcelli.

Eadē interstitia remitti posse per Capitulum sede vacante, seu per eius Vicarium in casibus in quibus posset dare licentiam ordinandi, testatur declaratum fuisse ab eadem S. Cong. Conc. *id. Quaran. v. Capitulum Quarto. 10.* Nullam etiā incurrit poenam ordinans vel ordinatus non expectatis interstitijs cum à Conc. *lo. cit.* non sit expressa, licet peccet *Nau. conf. 4. & conf. 6. de temp. ord. in no.* sed ordinatus puniri posset pēna arbitraria si dolosē subtrinuerit corā examinato- rib. hoc impedimentum, & fecerit se ordinari.

Huc spectat quod duo sacri ordines eodem die dari non possunt. *cit. cap. 13. Conc. Trid. cap. literas, de temp. ord.* collati tamen tenent, sed eorum executio suspenditur, nec potest dispensari nisi per Papam. *cap. innotuit. de eo qui furt.*

ord. Abb. ib. num. 3. Minores tamen plures vel etiam omnes vno die licitē conferuntur. *c. cum H. lator. de eo qui furt. ord.* Imò & Subdiaconatus eodem die cum minoribus posset conferri, vbi talis esset consuetudo. *Nau. in man. cap. 25. nu. 71. Eman. Sain Aphoris cōfess. de Sacram. Ord.* nec in contrarium adduci potest ius aliquod expressum, vbi que enim loquuntur iura de sacris tantum ordinibus non conferendis pluribus eodem die.

6. Requiritur præterea circa ordinationem, ut ordinans habeat intentionem conferēdi ordinem, sicut & in collatione omnium aliorum Sacramentorum intentio necessario requiritur. *Inno. in cap. 2. de Baptif. S. Th. in 3. p. quest. 64. art. 8.* Imò Conc. Trid. *cit. sess. 7. can. 11.* anathemate damnat sentientes intentionē, vel saltem voluntatem faciendi id quod facit Ecclesia non requiri in Sacramentorum collatione. sufficeret tamen intētio virtualis. *cit. S. Th. 4. sent. dist. 25. q. 2. art. 6. Sot. similiter in 4. dist. 1. quest. 5. art. 8.* & in dubio præsumitur non defuisse, intentionem. *Nau. conf. 7. & 8. de temp. ord. in antiq.*

In ordinato quoque requiritur intentio saltem virtualis, vel dummodo non opponatur obex contrariæ voluntatis ita quod omnino repugnet. *cap. maiores. de Baptif. ibi que DD. communiter S. Th. locis cit. Victor. de Sacram. Ord. num. 237.* ad quod facit quod alias diximus, de puero, vel amente seu inuito ordinando.

Requiritur item ut ordinandi habeant indumenta necessaria. Subdiaconus quidem manipulum, Diaconus stolam, Præsbyter ambiatur stola vtroque humero, & cassulam seu planeram habeat. *cap. præsbyter. cap. Ecclesiastica. 23. dist. Ang. v. ordo. 7. nu. 7.*

H 2 Requi-

7 Requiritur & traditio instrumentorū ordinatis prout cuique ordini assignata sunt, & tradita instrumenta tangi debēt; si tamen non tangantur nil obesse nec esse supplendum docet. *Arm. v. ord. num. 4. Victor. lo. cit. num. 230.* securius tamen esse ut tangantur dicit *Vivald. lo. sup. cit. num. 22.* cum nimirum multi graues Doctores teneant huiusmodi contactum esse de necessitate huius Sacramenti.

Et quidem Præbytero traditur panis cum patena & calix cum vino, manusq; ipsius unguentur oleo sancto. *cap. prætrea. tit. gl. 23. dist. cap. generaliter. §. v. trisq. 16. q. 1.* manus etiam super ipsum imponit ordinator & Præbyteri adstantes. *cap. Præbyter. cit. 22. dist. cap. fin. de Sacram. non iter. vel sufficit quod nō omnes adstantes, sed saltem duo Præbyteri manus illi imponant. Host. in sum. tit. cit. num. 10.*

Diacono orarium super sinistrum humerum imponitur, Euangeliorum liber ipsi traditur manusque super ipsum imponit solus Episcopus. *cap. Diaconus distinet. cit.*

Subdiacono traditur calix cum patena vacuus ab Episcopo, Archidiaconus verò tradit ipsi vrceolos cum vino & aqua, & manile cum manutergio. *c. Subdiaconus. ea. dist. cit.*

Acolyto traditur candelabrum cum cereo, & vrceoli vacui. *c. Acolytus. ib.*

Exorcista liber exercismorum. *c. Exorcista. ib.* Lectori codex Diuinarum Lectionum. *cap. Lector. ib.* Ostiario clauēs Ecclesiæ. *cap. ostiarius. ibid.*

Traditio autem huiusmodi instrumentorum de necessitate fieri debet per ipsūmet Episcopū in collatione maiorū

ordinū. *c. quorundam. dist. 23. cit.* In minoribus verò ordinibus sufficit si tradantur per Archidiaconum, Episcopo traditionis verba proferente. *c. Acolytus. cit. Nau. conf. 3. de sacr. non iteran. in no. Sylu. v. ordo. 2. quest. 5. arm. eod. num. 12. Vivald. loc. cit. num. 14.*

Circa ordinationem in omnibus etiam seruandæ sunt ceremoniæ & ritus Pontificalis Romani, nihilque omittendū quod ibi præscribitur. *Ang. v. ordo. 7. cit. nu. 4.* Et tanto magis quia tenet *Arm. loc. cit. nu. 10.* omnia quæ sūt præscripta in Pastoralis esse de substantia ordinis, nisi oppositū in iure sit expressū, Et licet aliqui dicant, illa solum esse de substantia, quorum vsu imprimitur character, tamen in hac diuersitate opinionum, securior via est tenenda, & cum quid dubitatur esse de substantia, quod tutius sequendum est, & substantiale iudicandum. *Host. de sacr. vnct. in sum. num. 7. Ang. loc. cit.* In dubio enim semper præsumitur quod salutaris est animæ. *Ve in dubio præsumitur quis non esse baptizatus. cap. paruulos. de consecr. dist. 4. & præsumitur quis non esse ordinatus. c. præbyter. 68. dist. & in dubio præsumitur quis excommunicatus. cap. cum desideres. §. secunda. de senten. excom. Host. in sum. de scrut. in ord. num. 5.*

Quod si omittatur aliquid necessariū cautè supplendum est alio tempore celebrandæ ordinationis. *c. 1. & fin. de sacr. non iteran. ibiq; Innoc.* Si tamen omittatur leuè aliquid quod non sit de substantia, tolerari potest, nec oberit omissi. *Host. in cit. sum. de sacr. vnct. nu. 7. & de sacramen. non iteran. num. 10.*

(:)

ARTI-

ARTICVLVS IX.

Qui sint effectus Ordinationis.

- 1 **C**har. adter imprimitur in anima per susceptionem Ordinis.
- 2 Ordinatus ad sacros ordines obligatur continere.
- 3 Horas an teneatur recitare ordinatus.
- 4 Ordo Clericatus nobilitat.
- 5 Ordines collati quomodo probentur.
- 6 Ordinatus vel eius Cancellarius an recipere quid possit pro ordinatione seu literis testimonialibus ordinationis.

Primus & principalis ex ordinatione resultat effectus, quia per illam imprimitur character in anima & datur potestas exercendi officium ordinis suscepti. *Conc. Trid. cit. sess. 23. cap. 4. & can. 4. Viator. lo. sup. cit. nu. 232. Ang. v. ordo. 1. nu. 2. Arm. eod. nu. 5.* Est autem character spiritualis qualitas animæ signans gratiam gratum facientem, & ad gratiam disponentem assimilantem, & distinguentem. *S. Bonau. in 4. dist. 6. quest. 1. & Ang. cit. v. character. nu. 1.*

Imprimitur autem character in singulis ordinibus, ita tamen ut omnes faciant vnum Sacramentum quæ est communis or sententia, eamque tenet *S. Th. in 4. dist. 24. q. 2. S. Bonau. ib. Turrecrem. in c. Episcopi. 23. dist.*

Secundus effectus seu obligatio ordinationem consequens est, quod ordinatus ad ordines sacros obligatur ad seruandam castitatem. *cap. de his. 28. dist. c. ante triennium. 31. dist. cap. omnium. 32. dist. c. cū in praterito. 84. dist. Conc. Trid. lo. cit. cap. 13. de ref. cuiuslibet enim ordini sacro annexum est votum continentie. cap. cum olim. iun. gl. v. votum. de Cler. coniug. Abb. in cap. vn. de cler. per salt. prom. nu. 3.* non quidem de substantia ordinis sacri, sed ex ordinatione Eccle-

siæ. *S. Th. 2. 2. quest. 88. art. 11. Turrecrem. in cap. Diaconus. 27. dist. Bero. in cap. in presentia. nu. 121. de prob. quod votum potest etiam expressè exigi circa ordinationem. per c. quinquam. 23. dist. Turrecrem. ib. hocque solere facere Episcopos aliquos testatur Rot. decis. 561. nu. 14. p. 1. diuers.*

Obligatur etiam ordinatus ad recitandum horas Canonicas. *gl. in cap. fin. 92. dist. & alia gl. in cap. 1. de celeb. Miss. Sot. de iust. & iur. lib. 9. quest. 7. art. 2. Nau. in tract. de orat. cap. 7. nu. 2. & in man. cap. 25. nu. 97.* idque non tantum ratione beneficii, sed etiam ratione solius ordinis sacri, vnde & promotus ad patrimonium, licet beneficium non habeat, tenetur tamen ad recitationem horarū. *Abb. in cap. tuus. nu. 8. de preb. Ad minores tamen ordines ordinatus non obligatur ad continentiam, potest enim redire ad sæculum. Host. & DD. in cap. 2. de preb. Rot. decis. 731. nu. 14. p. 1. diuers. neque obligatur ad recitandum officium, nisi habuerit beneficium, nam ratione beneficii teneretur ad recitationem. Nau. lo. cit. de orat. nu. 3. & si nō haberet beneficium, teneretur ad recitandum officium. B. M. V. tanto magis si ordinatori, qui solet indicare recitationem huiusmodi officij, vel septem Psalmorum, cō-*